



The Holy See

*LITTERAE APOSTOLICAE LEONIS PAPAE XIII,
PER QUAS IIS QUAE A PIO IX CONSULTO SUNT
DE RATIONE STUDIORUM IN SEMINARIO ROMANO,
NONNULLA ADIICIUNTUR AD DISCIPLINAM LITTERARIAM
IN CLERICIS PROMOVENDAM**

LEO PP. XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Validis firmisque doctrinae praesidiis Cleri institutioni iuvandae, inclitus Decessor Noster fel. rec. Pius IX, Apostolicis litteris sub plumbo datis IV calendas Iulii anno MDCCCLIII, sacrum Seminarium, de suo nomine Pium appellatum, delectis Clericis excipiendis ex omnibus Dioecesibus Provinciarum Pontificiae ditionis ad S. Apollinaris in Urbe excitavit, aliisque litteris sub annulo Piscatoris die III Octobris eodem anno editis, rationem studiorum constituit, quae in scholis Pontificii utriusque Seminarii, Romani et Pii, in perpetuum servaretur.

In hoc magno ac salutari opere perficiendo augustus Conditor id potissimum spectans, ut iuvenes Clerici ad pietatis graviorumque doctrinarum laudem solide accurateque informarentur, quo in Dominico agro excolendo christiani populi utilitati et bono naviter servire possent, suis Apostolicis litteris sanxit, ut qui Seminarii Pii locum peterent, ii, emensis in suis quisque Dioecesibus Rethoricae studiis, suaque in humanioribus litteris peritia legitimo experimento probata, ad peragendum in Urbe integrum Philosophiae ac Theologiae curriculum in Seminarium adlegerentur, in eoque iurisprudentiae etiam studiis ita vacarent, ut ad integrum eorum cursum explendum haudquaquam obstructi, iuris tamen Pontificii, civilis et criminalis institutionibus operam dare omnino adigerentur.

Has illustris Decessoris Nostri de accurata Cleri institutione curas Nos omni studio prosequentes, ac praecipua voluntate adducti humaniorum litterarum fortunae consulendi, quas a veteri dignitate collapsas temporum conditione moleste forebamus, eorum studiorum rationi instaurandae, et ad

pristinum revocandae decus, animum adiiciendum putavimus; ac propterea, superiore anno, litteris die XX Maii datis ad dilectum Eilium Nostrum Lucidum Mariam S.R.E. Presbyterum Cardinalem Parocchi, vicaria Nostra potestate in Urbe fungentem, novas in Seminarii Romani aedibus scholas italicis, latinis et graecis litteris tradendis constituimus, opportunitatem praebentes utriusque Seminarii alumnis aliisque clericis Philosophiae, Theologiae et Iurisprudentiae cursu perfunctis, ut oblata a Nobis ope, ad penitioem et cumulationem in litteraria palaestra et disciplina eruditionem ac laudem eniti atque assurgere possent. Nobiscum enim reputavimus quantopere disciplinae, usus et facultas litterarum necessaria sit iis, qui pietatis ac veritatis catholicae tuendae ac propagandae munere iunguntur, et quantum ornamenti ac praesidii ad doctrinae laudem accedat, ubi ea cum litterarum laude apte coniuncta reperiatur. — Magisteriis itaque litterarum, quae diximus, iam Deo favente feliciter cura Nostra constitutis, illud Nobis agendum esse intelligimus, ut quam fieri potest ad plurimos, eorum utilitates ac fructus manare curemus.

Quamobrem hisce Nostris litteris, firmis atque integris permanentibus ceteris omnibus, quae ab inclito Decessore Nostro in iis, quas memoravimus, Apostolicis litteris de utroque Seminario sancita fuere, Nos decernimus ac statuimus, eos omnes qui inter alumnos Seminarii Pii cooptari cupiunt, in iis experimentis quae ab ipsis edenda sunt ad Seminarii locum obtinendum, praeter ea quae in Apostolicis Decessoris Nostri litteris decreta fuere, suam quoque peritiam in litterarum graecarum rudimentis probare debere; itemque decernimus ac mandamus ab utriusque Seminarii Romani et Pii alumnis, Philosophiae ac Theologiae studiis peractis, italicarum, latinarum et graecarum litterarum disciplinis a Nobis in Seminarii Romani sede constitutis, in annum integrum, omni aliorum studiorum cura intermissa, operam esse navandam, earumdemque litterarum scholas ab iis celebrari volumus primo etiam iurisprudentiae anno, quo sacri, civilis et criminalis iuris Institutionum Magistros audient; atque ad Nostram Nostrorumque Successorum auctoritatem revocamus de alumnis decernere si quando aliquem hac lege solvi, graves iustaeque caussae postulaverint.

Haec uti a Nobis praescripta sunt, firmiter servari iubemus, praecipimus et mandamus, decernentes has Litteras esse perpetuo valituras, contrariis non obstantibus, individua etiam et peculiari mentione dignis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXX Iulii MDCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri anno nono.

M. CARD. LEDOCHOWSKI

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana